9. Roborantia carbone efficacia.

§. 518.

Carbo.

Corpora organica, praeprimis ex plantarum regno progredientia, ignis vi in carbonem convertuntur, materiam dotibus singularibus distinctam, solidam, siccam, levem, fragilem, totam nigram, quae, saporis et odoris expers, nec aqua, nec vini spiritu, nec oleis, nec, si nitricum excipias, acidis solubilis, nec igne, cui in vasis exponitur, mutabilis, quo tamen sub aëris accessu, relicto cinere, in acidum carbonicum convertitur, electricum metallorum ad instar conducens. Putredine non subigendus carbo alia potius, quibus additur, corpora a putredine defendit, liquidis materias, quibus tinguntur, detrahens, et aëres varii generis absorbens. Quibus facultatibus carbo in medicamentum etiam convertitur, quod in casibus, ubi putredo in corpore animali arcenda, aëres mephitici absorbendi, producta morbosa alia inmutanda, eorumque in reliquam oeconomiam vitalem vis deleteria moderanda, ad aegrorum conservationem et restituendam salutem contribuere valet.

In varium hunc finem medici *carbonem praeparatum* adhibere solent, quem alii ex ligno fageo, alii ex pineo fieri jubent, eumque, dum penitus excanduerit, absterso cinere, in pulverem partim crassiorem, partim subtiliorem redactum in vasis bene clausis servare.

Commendatur in scorbuto, in typho et dysenteria putridis, in ulceribus ejusdem indolis, sphacelo, cancro, in phthisi pulmonali, et in hac

quidem cum lixiva sulphurata conjunctus, in intestinorum ab aëre quodam inflatione. Pulvis carbonum aut siccus, aut electuario admixtus remedium internum praebet, ad scrupulum, vel drachmam dimidiam pro dosi exhibendum. Idem pulvis ulceribus inspergitur, vel cum pinguedine aut melle in unguentum redactus adplicatur.

§. 519.

Graphites.

Carburetum ferri nativum Chimicorum, quod in Anglia, Austria, Bohemia et aliis imperii Austriaci provinciis invenitur. *Praestat omnibus* Graphites Anglicus:

Colore ex nigro cinereo, splendore ad metallicum accedente, habitu aut solido, aut granoso, aut squamoso praeditus, adtactu mollis, alia corpora colorans, in igne, cui in vasis clausis exponitur, quamvis intensissimo, constans, qui vero eundem aëre in auxilium vocato adgrediens carbonem, quem recondit, dissipat, solo ferro relicto. Componitur enim ex carbone et ferro, ea quidem ratione, ut carbonis 09, ferri 01 contineat.

Hae ipsae materiae corpori huic inter remedia roborantia locum vindicare videntur, cujus tamen virtus a medicis hucusque nondum satis explorata est. Quae illi in herpete, scabie, arthritide, scrofulis tribuuntur, laudes originis magis empiricae sunt.

Graphites elutriatus, i. e. ope aquae a materiis crassioribus separatus, et hoc modo in pulverem subtilem redactus, a medicis praescribitur, cujus eundem usum ac carbonum, internum externumque faciunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0494-0 DFG